



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Vtrum res omnes à solo Deo pendeant in consueruari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

priori: quia esset quasi nouaeductio, nouaque dependentia à distincta causa, tamen illa diuersitas non potest esse naturalis, quia non potest accidens migrare naturaliter de subiecto in subiectum.

X.
Distinctio
creationis à
conseruatione
ne ob variationem efficiens.

Alio modo potest distingui conseruatio à productione ex parte principii, vt cum ignis producit ab igne, & postea conseruatur à solo Deo. Vel cum aqua calefit à sole, vt ab igne, & remoto sole aut igne retinet calorem; tunc enim necesse est conseruationem esse nouam actione distinctam. Quod facile patet, quia cessauit prior actio & dependentia: iam enim ignis nō agit in aquam, v. g. aut alium ignem genitum, & consequenter cessauit etiam prior actio vt erat à Deo: nam in re erat omnino eadem cum actione ignis, vt sequente quæstione declarabitur: ergo est noua actio, qua Deus se solo illum effectum conseruat. Imo contingit priorem actionem esse successiuam: conseruationem verò esse indiuisibilem & permanentem, quia per hanc nihil nouum acquiritur per partes, sed quod acquisitum est paulatim, simul & indiuisibiliter conseruatur: loquor enim de pura conseruatione quæ sit sine augmento. Denique ratio est, quia actio, cum per se ipsam pendeat ab agente, non potest variare dependentiam, vel habitudinem ad agens, quin varietur actio. Et ideo si lumen producat ab vna lucerna, & conseruetur ab alia, conseruatio est actio distincta à productione: & in vniuersum idem est quodocumque est distinctum conseruans à producente.

XI.

Ex quo obiter intelligitur, hunc modum distinctionis non habere locum naturaliter in creatione, & conseruatione illi correspondente, quia naturaliter non potest res creari, neque creata conseruari nisi à solo Deo: secus vero est supernaturaliter: nam si Deus crearet rem per instrumentum creatum, & postea conseruaret se solo, vel e conuerso, tunc etiam actio esset distincta propter eandem rationem. Dixi autem esse collationem faciendam inter conseruationem correspondentem creationi: quia ita est formaliter ac per faciendam comparatio, quoties inquiritur de distinctione inter productionem & conseruationem. Nam si quis compareret conseruationem ignis, in materia cum creatione quacumque, clarum est esse actiones diuersas. Item sistendum est in actione & causalitate causæ efficientis: nam si quis compareret creationem materiæ, v. g. ad conseruationem, prout suo modo est à forma actuante illam, sic alia est causalitas formæ ab actione agentis: tamen id non est formaliter cōparare conseruationem actiuam cum productione.

XII.

Vnde tādē intelligitur, cur in hac assertionē dixerim distinctionem hanc inter conseruationem & productionem esse per accidens ac materiale: in superiori vero dixerim identitatem esse per se ac formalem. Quia nimirum distinctio quam explicuimus, non est inter conseruationem & productionem, ex eo quod vna est conseruatio & altera productio: sed ex eo quod vna est ab vna causa, & altera ab alia. Quæ distinctio erit eadem inter duas productiones, vel etiam inter duas conseruationes, si eadem diuersitas principiorum intercedat: ergo productio & conseruatio per se non habent hanc diuersitatem, sed potius identitatem, si formaliter ac præcisè comparentur.

Satis fit argumentis.

XIII.

Argumenta prioris sententiæ ferè non indigent solutione. Negatur enim creationem ex necessitate dare tantum per instans nostri temporis secundum rem loquendo; durat enim quamdiu conseruatio permanet: secundum nomen autem seu connotationem dicitur, solum durare per instans, quia tantum pro illo instante connotat negationem prioris

existentiæ. Loquimur autem semper de creatione, quæ est cum nouitate offendi; nam illa quæ esset æterno, non duraret per instans nostri temporis, sed esset nunc æternitatis, in eaque distingueretur creatio & conseruatio, modo proportionali, vt distinctione præcedente declarauimus. Ad primam confirmationem respondetur, cum res permanens dicitur esse in quodam continuo fieri, æquiuocam esse locutionem; nam esse semper in fieri ex rigore verborum significat esse in quodam continuo transibit & successione; in hoc autē sensu falsa est propositio, non tamen sequitur ex prædicta sententia, vt per se notū est. Alius vero sensus esse potest, quod creatura quamdiu est, actu pender à prima causa, à qua semper recipit esse per eundem actuale influxum, quo creata est. Et hoc sensu est vera propositio, tamen est impropria, quia fieri in rigore connotat quandam nouitatem offendi. Secunda confirmatio probat secundam conclusionem à nobis positam. Verba autem D. Augustini, vel nihil ad rem faciunt, vel ad summum confirmant eandem conclusionem.

SECTIO III.

Utrum res omnes à solo Deo pendeant in conseruari.



Iximus pertinere ad efficacitatem primæ causæ, vt res omnes in esse conseruet: sequitur vt declaremus, an hoc sit proprium eius, & consequenter explicabimus communem diuisionem causarum: ne eas à quibus effectus pendet tantum in fieri vel etiam in conseruari. Et inuestigabimus radicem huius diuersitatis, an scilicet sufficiens sit, quod causa sit vniuersa, vel æquiuoca, vel si hæc non est satis, quænam illa sit.

Sensus quæstionis exponitur.

Primum autem omnium aduertendum est ex D. Thoma 1. p. quæst. 104. art. 1. & 2. variis modis intelligi posse vnam rem conseruari ab alia, scilicet per se, vel per accidens. Per accidens dicuntur conseruari ea, quæ illam protegent à contrariis, vel ea resistendo, vel ea remouendo. Et hoc modo certum est Deum conseruare vnam creaturam medianter aliā: Angelus enim potest facile conseruare hominem auertendo lapidem, ignem, &c. de quo non est quæstio, quia hæc non tam est conseruatio, quam alia mutatio localis, vel alterationis; ad quam ex accidente sequitur, vt res, quæ iam erat, non corrumpatur, & ita conseruetur. Conseruatio autem per se potest subdividui; nam vna est directā & immediatā, quæ consistit in perseverante influxu ipsiusmet esse quod per productionem communicatum fuit. Alia verò est conseruatio solum mediata aut remota, quæ consistit in influxu aliquarum dispositionum vel formarum, quæ necessariæ sunt, vt res conseruetur in esse. Et priorem videtur D. Thom. supra ad 1. vocare conseruationem principalem: posteriorem verò secundariam. De hoc igitur posteriori modo conseruationis nulla est quæstio, quia certum est hoc modo quasdam creaturas conseruari per alias: sic enim dixit Arist. 12. Metaph. tex. 34. cælum & solem diuino motu suo conseruare hæc inferiora. Et ratio est, quia hic modus conseruationis solum consistit in productione aliquarum qualitatum, vel formarum. Vnde sicut vna creatura agit in aliam, ita etiam potest agere in qualitates consentaneas naturæ eius, quibus commodè conseruetur.

Vbi duo sunt consideranda, vnum est, conseruationem proprie dici de illa, quæ est per efficientiam, quomodo nunc de illa loquimur: extendi tamen ad alia

alia genera causarum, præsertim materialis & formalis. Quomodo forma conservatur per materiam, & materia suo modo per formam, & compositum per dispositiones materiales. Hac ergo ratione dici potest materia conservari mediis causis secundis, quia licet mediare non influant esse in illam, tamen inducunt in eam formas, quibus mediantibus conservatur. Et simili ratione qui producit connaturales dispositiones, dicitur conservare subiectum: quo modo sol conservat viuentia, fouendo naturalem calorem eorum. Alterum observandum est, conservationem interdum tribui individuo, interdum vero speciei, quomodo dicitur conservari species per continuum generationem individuum, quæ est etiam impropria conservatio, nam potius est generationum successio. Vnde neque de hac est sermo, quia constat, generationes has fieri mediis causis secundis. Est ergo sermo de propriissima conservatione, per directum & immediatum influxum continuum ipsius esse in eadem singulari re.

Questionis resolutio.

IV. Deo igitur primo; Nulla substantia creata pendet in conservari quoad suum esse substantiale à causa creata. Notavit hoc Capreolus in 2. distin. 1. quæst. 2. art. 3. ad quartum contra tertiam conclusionem, ex Diuo Thoma quæst. 5. de potent. art. 1. ad 7. Potestque inductione & ratione ita ostendi; nam in rebus in corruptibilibus, quæ per creationem fiunt, res est clarissima, ut notavit D. Thom. 3. parte, quæst. 33. art. 2. quia conservatio harum rerum fit per eandem actionem perseverantem, qua creantur. Item, quia illa actio qua conservatur, non est ex materia, quia vel res, quæ per illam conservantur, non habet materiam, sed sunt simplices, vel si habet, talis influxus simul terminatur immediate ad esse ipsius materie, & ideo qua ratione creatio harum rerum est propria ipsius Dei, eadem etiã conservatio. Quod etiam est verum de materia prima rerum generabilium: nam de conservatione, quæ est per formam, iam diximus esse mediatam & impropiam. Maxime si verum est, formam non concurrere proprie & à priori ad conservationem materie, sed tantum à posteriori, & quasi dispositivè, ut in superioribus tactum est.

V. Præterea substantiæ corruptibiles in primis non pendunt in conservari à substantiis creatis immaterialibus; nam hæ non possunt per se efficere educationem formarum de potentia materie: ergo nec conservationem: est enim eadem ratio de conservatione. Item non pendunt in conservari à generantibus vniuersis, ut experientia constat. Et ratio est, quia recipiunt perfecte eorum formas secundum speciem. Item: quia alias vnum individuum vnius speciei secundum suum esse diceret essentialem, vel saltim connaturalem habitudinem dependentiæ in ipso esse ab alio individuo eiusdem speciei, & sic vel procedendum esset in infinitum, vel necessario sistendum esset in aliquo, vel aliquibus, quæ non connaturali modo conservantur: utrumque autem est plane falsum ut constat. Rursus neque à generante æquiuoco, si illud etiam sit substantia genita, ut etiam constat experientia: nam, licet equus generet mulum, genitum non pendet in conservari à generante. Et in his & similibus fortasse ratio est, quia hæ generationes sunt aliquo modo per accidens, & ideo effectus ratione sui esse non dicit intrinsecam dependentiam à tali causa, sed solum ratione talis fieri. Aliam generalem rationem statim tractabimus.

VI. Tandem possunt hæ substantiæ generabiles comparari ad celestes & incorruptibiles substantias compositas. Et sic aliqui existimant substantias inferiores pendere in conservari à cælo, quod sine probatione verisimile indicat Fonseca cap. 2. quæst. 9. sect. 2. libr. 5. Metaph. Sed id negat Diuus Thomas supra.

Reddit autem rationem satis obscuram his verbis: *Actio agentis corporalis non se extendit ultra motum: & ideo est instrumentum primi agentis in educatione formarum de potentia in actum, quæ est per motum: non autem in conservatione earum, nisi quatenus ex aliquo motu dispositiones in materia retinentur, quibus materia sit propria forma. Sic enim per motum corporum celestium inferiora conservantur in esse. Quæ ratio duobus modis explicari potest: primo, quod agentia corporalia non attingunt educationem formarum immediate, sed tantum dispositivè, & ideo non possunt esse propria causa conservationis. Sed hic sensus est contra principia D. Thomæ, & contra mentem eius in illo loco. Nam, iuxta illum sensum eodẽ modo penderet forma in conservatione sicut in educatione à corpore celesti, quod tamen D. Thom. negat. Tunc autem difficile relinquitur, cur eo instrumentali modo, quo agens corporale mediante motu, est causa educationis formæ substantialis, non possit etiam esse causa conservationis eius. Secundus ergo sensus esse videtur, quod cælum, quia non agit in inferiora nisi mediis accidentibus, solum instrumentaliter attingit effectum formæ substantialis, & ideo solum habet hanc efficientiam quamdiu durat alteratio prævia, quia instrumentum solum agit ad effectum principalis agentis prævia propria actione: cessante ergo motu alterationis cessat actio cæli circa ipsam substantiam. Conservantur autem huiusmodi res cessante alteratione, quamvis non generentur, nisi mediante illa: & ideo non pendunt in conservari à cælo, sicut pendunt in fieri.*

Estque in hoc sensu ratio hæc probabilis, quæ potest ita declarari amplius & confirmari, quia substantia creata non efficit aliam, nisi mediis accidentibus ut instrumentis, sed nulla substantia ex natura sua pendet in suo esse & conservari ab efficientia accidentium, imo in vniuersum nullus effectus nobilior instrumento videtur per se pendere in conservari ab actione instrumenti, etiam interdum pendeat in fieri, quia tale agens non est aptum ad efficiendum talem effectum, nisi medio instrumento, ut licet species intelligibilis fiat medio phantasmate ut instrumento, non penderet ab illo in conservari, & sic de aliis. Et ratio esse videtur, quia habitudo ad instrumentum ignobilius non potest fundari in intrinseca natura & indigetia ipsius effectus, sed ad summum in natura, vel voluntate agentis, quia vel non est sufficiens, vel non vult agere sine tali instrumento. Vnde hic optime quadrat distinctio D. Thom. prout à nobis supra explicata est de causa solius fieri, vel etiam ipsius esse. Nam quandocumque causa medio instrumento imperfecto agit perfectum effectum, est causa ipsius fieri, non vero ipsius esse, quia non est verisimile, talem effectum ex vi sui esse absolute considerati postulare talem causam ut sit, sed ad summum ut fiat tali genere productionis. Et ideo talis effectus nunquam pendet à tali causa in conservari. Quia ergo cælum nullam substantiam inferiorem efficit, nisi hoc modo, scilicet, per accidentia, quæ sunt ignobiliora instrumenta, quam effectus substantiales: ideo licet hæ substantiæ interdum à cælis fiant, non tamē ab iis in conservari pendunt.

Quod potest tertio in hunc modum ostendi, quia elementa secundum suas substantias non pendunt in conservari à cælis: ergo nec mista pendere possunt: ergo nullæ substantiæ corruptibiles ita pendunt à cælo, quia hæ non sunt, nisi aut simplices aut mistæ. Antecedens probatur, tum experientia: nam ignis aut aqua per se loquendo æque conservantur in absentia vel præsentia Solis, & quomodocumque mutetur influentia cæli: tum ab origine, quia cæli & elementa æque primo creata sunt: vnde elementa per se & natura sua non pendunt in fieri à cælo: sed vel primo fiunt per creationem, vel postea vnum aptum est generare sibi simile: ergo neque in conservari penderet. Prima vero consequentia probatur à paritate ratio-

Te 4 nis,

Ratio D. Thomæ pro conclusione explicatur.

VII.

VIII.

nis, vel etiam à fortiori, quia formæ mistorum sunt perfectiores, & ex se æque permanentes. Quod etiam experientia confirmat, quia licet aurum generetur à Sole, conseruatur sine præsentia vel actuali influentia Solis, & sic de aliis. Nulla ergo substantia reperitur, quæ immediate & directe pendeat in suo esse ab alia substantia creata. Neque inuenio rationem quæ vel probabiliter oppositum suadeat, cui respondere necesse sit.

IX.
Quia acci-
dentia pen-
dent in co-
seruari à
sum causis,
qua non.

X.

Dico secundo: Accidentia non semper pendunt in conseruari à suis causis etiam æquiuocis. In causis enim vniuocis est res manifesta, & experientia, & ratione supra facta, quæ in vniuersum probat, effectum nunquam pendere à causa vniuoca seu eiusdem rationis in esse, sed in fieri tantum. De effectu autem facto à causa æquiuoca, patet in calore facto à Sole: permanet enim cessante influxu eius, & idem est de aliis primis qualitatibus, quæ à luna & aliis astris fiunt. Rationem vero statim inquiramus.

Dico tertio: Aliqua accidentia pendunt in fieri & conseruari à causis æquiuocis creatis. Hæc etiam conclusio constat experientia; sic enim pender lumen à Sole, vel alio lucido; species intentionales sensuum externorum ab obiectis: actus vitales à potentiis, & in vniuersum motus ab aliquo actualiter mouente. Atque ita sit, ut tantum hi effectus non pendeant à solo Deo in conseruari. Dico autem à solo, quia etiam ab ipso pendunt immediate in conseruari; nam, eo modo quo omnis operatio creaturæ est etiam immediate à Deo, ut infra dicemus, hæc etiam conseruatio, quæ per creaturam fit, est etiam immediate à Deo: est enim eadem ratio, cum hæc conseruatio sit quedam operatio, seu efficientia. Et ita in hoc nulla est difficultas.

XI.

Sed magna est in reddenda ratione huius dependentiæ: non enim sufficienter redditur ex eo, quod causa est æquiuoca, & effectus imperfecte participat virtutem causæ: nam constat ex præcedente assertione, hanc rationem non sufficere in aliis effectibus æquiuocis. Vnde etiam difficile est rationem assignare, ob quam quidam effectus æquiuoci causarum creaturarum non pendeant ab illis in conseruari: alij vero pendeant. Quam difficultatem attigit Diuus Thomas 1. parte qu. 84. art. 1. ubi tacite querit, cur aqua calefacta retineat calorem cessante actione ignis: aer vero non retineat lumen, cessante actione Solis. Et solum respondet; *Quia materia aquæ est susceptiua caloris ignis secundum eandem rationem, quæ est in igne: aer vero non est susceptiua luminis secundum eandem rationem quæ est in Sole*. Hæc vero ratio non videtur sufficiens, quia potest argumentum commutari; nam lumen causatum ab igne in aere non conseruatur, cessante actione ignis, calor vero causatus à Sole conseruatur: & tamē aer est susceptiua luminis secundum eandem rationem, quæ est in igne, & non est susceptiua caloris secundum eandem rationem, quæ est in Sole. Deinde inquiri, quid sit qualitatem aliquam recipi in passio secundum eandem rationem, quæ est in agente, quos enim potest habere sensus. Prior est ut idem sit recipi secundum eandem rationem, quod esse eiusdem speciei, & sic non concludit ratio, tum quia calor factus à Sole non est eiusdem speciei, tum etiam quia probabile est, aerem esse susceptiua luminis secundum eandem rationem quæ est in Sole. Maxime secundum eundem D. Thomam qui prima parte, quæstione 67. articulo tertio ex eo probat lucem Solis non esse formam substantialem, quia in aere est accidens. Quæ ratio non esset efficax nisi supponeret lumen aeris & lucem Solis esse eiusdem rationis.

XII.

Alter sensus est, ut qualitatem recipi secundum eandem rationem idem sit, quod produci coniunctam in passio eidem radicali principio, id est, eidem formæ substantiali prout erat in agente, quem sensum magis Diuus Thomas indicat, dum ait; *Aer natus non est recipere lumen secundum eandem rationem, secundum*

quam est in Sole, & exponit: *Ut scilicet recipiat formam Solis, quæ est principium luminis*: Vnde concludit: *Et ideo quia non habet radicem in aere, statim cessat lumen, cessante actione Solis*. Et eundem sensum magis explicat dicta quæst. 67. art. 3. ad primum, ubi ait, qualitatem sequi formam substantialem, & ideo sicut se habet subiectum ad receptionem formæ substantialis, ita se habere ad receptionem & retentionem qualitatis. Vnde concludit, si cum qualitate recipiantur forma substantialis, tunc firmiter recipi, & sine dependentia in conseruari ab agente creato: si vero recipiatur imperfecte, id est, disponendo & præparando materiam ad talem formam, tunc etiam conseruari aliquandiu cessante actione agentis, facile tamen abiici: si autem qualitas nec recipiatur cum forma, nec disponatur ad formam, omnino non manere cessante actione extrinseci agentis. Ex hoc ergo sensu talis concluditur ratio: nam quia calor siue ab igne, siue à Sole produci, semper disponit ad formam ignis, ideo omnino pendet in conseruari à tali agente, lumen vero aeris formaliter ac per se non disponit ad aliquam formam substantialem, siue fiat à Sole, siue fiat ab igne: aer enim illuminatus à quocunque, si non calefieret, non disponderetur ad formam ignis, & ideo omnino pendet in conseruari.

Sed neque hoc modo explicatus ille discursus videtur efficax. Primo, quia non est vniuersalis: actus enim scientiæ pendet in fieri, & conseruari ab agente: habitus autem non ita pendet: neuter autem disponit ad formam substantialem. Deinde species intelligibiles factæ ab intellectu agente non pendunt in conseruari ab illo, & tamen non disponunt ad formam substantialem. Præterea figura, color, & alie qualitates similes non disponunt ad formam substantialem & sunt qualitates permanentes, quæ non dependunt ab aliqua causa conseruante effectiue. Denique, quod qualitas disponat ad formam, vel non disponat, videtur impertinens, ut in conseruari pendeat à suo agente.

Alij ergo putant rationem esse reddendam solum ex intrinseca natura talium qualitatum vel effectuum, quia nimirum tales sunt ut essentialiter vel conaturaliter includant dependentiam à tali causa. Quæ ratio explanatione indiget, ne videatur tota res ad occultam rei naturam reuocari: quod non tam est rationem reddere, quam eius ignoratiam fateri. Verum est enim, hanc dependentiam fundari in aliqua speciali conditione vel natura talium effectuum: existimoque non in omnibus provenire ex eadem radice, sed iuxta vniuocum effectus naturam quærendam esse in illo rationem talis dependentiæ. Itaque in motu facile redditur ratio cur semper pendeat ab actu tali agente, quia nimirum eius esse non tam est effectus, quam fieri: quia ergo fieri non potest esse sine agente, ideo nec motus sine mouente. Et hæc ratio probat de omni dependentia quatenus talis est; nam illa vel est quoddam fieri, vel est ipsa conseruatio. Et ideo per seipsam essentialiter vel intrinsece pendet ab agente, & talis dependentia à tali agente.

Atque hinc etiam facile redditur ratio de actibus immanentibus, si, ut multi volunt, sunt tantum actiones & non qualitates; nam omnis actio perfectissima est essentialis dependentia ab agente. Sed quia omnis actio habet suum terminum, & omnis dependentia, est alicuius dependentia, ideo ut verius supponimus hos actus esse quasdam qualitates dependentes à suis potentiis. Et ratio optima redditur ex natura talium qualitatum: sunt enim essentialiter actus vitales, qui ad informandum possunt facultatem influentem in ipsos, unde, quia naturaliter esse non possunt, nisi actu informando suum proximum & intrinsecum principium, ideo etiam naturaliter esse non possunt, nisi actualiter sint ab ipso. Quæ ratio cessat in habitibus, & alioqui habitus imitantur potentias: sunt enim cum illis principia agendi, & dan-

& dantur ad disponendas & iuvandas ipsas potētias: & ideo natura sua sunt permanentes & independentes ab actuali efficientia ipsarum potentiarum.

De speciebus autem intentionalibus non potest ratio reddi ex generali natura earum, cum videam⁹ quoddam pendere in conservari à suis proximis agentibus, alias vero minimè. Et ideo reddi potest ratio, vel in finali causa, quia quædam institutæ sunt ad conservandum tantum in præsentia obiectorum: aliz vero ut retineantur in memoria: vel ulterius ex his diversis finibus intelligi potest, species sensuum externorum esse valde imperfectas, & esse quasi instrumenta cōiuncta suorum obiectorum, ideoq; natura sua pendere ex actione eorum in esse & conservari: alias vero species vel sensibiles, vel intelligibiles esse perfectioris rationis, & ideo magis esse independentes.

De aliis vero qualitatibus physicis, de quibus solus videtur D. Thomas locutus citatis locis, probabiles sunt eius rationes: nam hæc qualitates, vel disponunt ad formam, vel consequuntur illam. Quæ disponunt, quia ex natura sua antecedunt formā, ideo possunt saltem in esse remisso præcedere talem formā, & consequenter etiā possunt manere sine illa, quæ vero formam consequuntur, non possunt esse nisi vel intrinsece ab illa manent, vel ab agente habente talem formam actualiter pendent. Addere præterea possumus aliam rationem generalem, quod qualitates unius speciei nunquam pendent in conservari à qualitatibus eiusdem speciei, propter rationem superius factā de causis uniuocis. Et ideo valde probabile est lumen & lucem Solis speciem differere. Qualitas autem quæ aliquando fit ab alia superiori & specie distincta, talis interdum est, ut, per se loquendo, fieri possit ab alia eiusdem speciei. Et tunc licet interdum fiat à superiori qualitate, non pendet ab illa in conservari. Quia cum ex natura sua non petat dimanationem ab illa superiori causa ut fit, non est cur ab illa pendeat in conservari, licet ab illa fiat, iuxta doctrinam datam in sectione prima explicando rationem dubitandi. Et hinc est quod calor, licet fiat per actionem Solis, conservetur sine actione eius, quia natus est fieri ab alio calore. Quando vero qualitas talis est, ut in extraneo subiecto nunquā possit naturaliter fieri, nisi à superiori qualitate connaturali modo existente in superiori agente, tunc signum est, pendere ab agente in conservari, quia sicut absolute requirit illa emanatione ut fit, ita similem influxum requirit ut in esse permaneat: & ideo lumen in aere non conservatur sine præsentia Solis, vel alterius, quod in natura lucis cum Sole conveniat. Et hanc rationem, licet sub aliis verbis, indicavit Caietanus defendens rationem Divi Thomæ prima parte, quæstione 104. art. 1. dubio ultimo, & applicari potest ad omnes effectus tam substantiales, quam accidentales.

Dubium primum incidens.

Sed adhuc super sunt duæ difficultates. Prior est, quia omnis qualitas pendet ab aliquo agente proximo in fieri & conservari: unde etiam in calore cessante actione ignis, adhibet Deus aliam actionem qua se solo conservat talem calorem, ut supra diximus, quæ actio talis est, ut æquivalet actioni, quam habebat ignis cum cōmuni concursu Dei: unde per se esset sufficiens illa actio ad producendum illum calorem, si non esset productus, quia per illam solum dat Deus esse tali calori, tãquam sufficiens causa illius esse. Quotiescunque ergo cessat actio proximæ causæ, effectus conservari non potest, nisi supplente Deo activitatem talis causæ: ergo vel omnis effectus pendet in conservari à sua causa proxima, vel nullus, quia si in omni causa proxima Deus velit supplere absentiam eius, nunquam effectus pederet in conservari à tali causa. Vel denique reddenda est

ratio, cur Deus in quibusdam effectibus ita se habeat ut cessantibus causis proximis ipse continuet (ut ita dicam) conservationem eorum: in aliis vero non item. Vel cur hoc postulet natura rei, ut unus effectus pendere dicatur à sua causa proxima in conservari, & non alius.

Ad hanc difficultatem responderi potest negando, ad conservandum sine igne calorem productum ab igne, tantam efficacitatem adhibere Deum, quanta sufficeret ad producendum calorem sine igne, si à principio adhiberetur, sed eam solum vim quam Deus adhibet ad concurrendum cum igne, sufficere postea ad conservandum calorem per ignem productum. Et quia similis efficacia non sufficeret ad conservandum sine sole lumen productum à Sole, ideo optima ratio redditur, cur remoto igne Deus continuet (ut sic dicam) concursum conservativum caloris, remoto autem sole non continuet concursum conservativum luminis. Nam, si remoto proximo agente necessarium semper esset Deum maiorem vim adhibere, non posset ratio reddi, cur illa maior activitas debita sit effectui, vel certe cur potius magis uni quam alteri debeat. Sicut recte intelligimus cur anima rationalis conservetur à Deo separata à corpore, non autem anima equi, quia nimirum eadem activitas Dei, quæ sufficit ad conservandam animam rationalem unitam corpori, sufficit ad conservandam separatam quod non ita est in anima equi. At vero, si ad conservandum animam rationalem extra corpus, necessarium esset Deum adhibere maiorem concursum, quo suppleret carentiam coniuncti corporis, non posset ratio reddi cur talis maior concursus debitus esset animæ rationali, vel cur non etiam esset debitus animæ equi: nam etiam illa posset Deus conservare extra corpus adhibendo maiorem concursum.

Hæc vero responsio nec sumit verum fundamentum, nec etiam ex illo satisfacit. Primum enim impossibile videtur quod Deus sola sua virtute conservet formā in materia, siue illa sit calor, siue quæcunque alia materialis, & tamen quod ibi non intercedat dependentia seu actio totalis per se sufficiens ad dandum esse tali formæ, si à principio, & cæteris paribus esset in talem materiam inducenda. Nam ut ostensum est actio conservativa non est per se distincta à productiva, sed illa actio in ratione conservationis est totalis & integra: & à virtute sufficiente: ergo est per se sufficiens ad productionem illius formæ, si non suppleretur producta. Item, quia calor, v.g. non potest habere vel retinere esse, nisi datum ab intrinseca causa sufficiente ad dandum tale esse, & ut sic operante. Et quoad hoc eadē est ratio de primo instante in quo recipitur esse, & de quocunque alio in quo conservatur. ut patet ex discursu factō sect. 1. Sed quamdiu forma conservatur, retinet totum suū esse: ergo recipit illud ab aliqua causa ut per se sufficiēte ad dandum tale esse: recipit autem illud pro eo instante à solo Deo in ratione efficientis; nā supponimus à solo illo effectivè conservari: ergo agit tunc Deus ut causa per se sufficiens & totalis, nō iam solum in genere causæ primæ, sicut quando concurrebat cum igne calefaciēte, sed simpliciter in genere causæ efficiētis Et proximæ: ergo maiorem efficacitatem adhibet ad talem conservationem, quā ad productionem, quæ fiebat medio igne.

Adde quod prior consensus & actio, saltem in productione totius caloris fiebat successivè: conservatio autem tota simul perseverat per modum indivisibilis actionis, fit ergo alio modo, & ex maiori efficacitate. Denique si in calore admitteremus conservari à Deo solo sine maiori concursu, quā adhibebat ei igne, cur non posset lumen eodem modo conservari in absentia solis per æqualem concursum? vel si potest, cur non est hoc ei debitum, sicut calori? eadem ergo restat difficultas etiā admissio altero principio. Et ratio, quæ in ea sententia reddita fuerit, habebit

locum,

XIX.
Enodatur.

XX.

XXI.

XXII.

locum, etiam si supponamus (quod verum est) Deum conseruare vnamquamque rem per integram & totalem actiuitatem eius, in sensu exposito, quando illam se solo conseruat.

Ratio ergo differentia, quæ in illa difficultate postulat, sumenda est ex principio posito sect. i. quod interdum effectus manat à sua causa ratione sui esse absolute ac præcise considerati; aliquando vero solum ratione talis fieri, quod tamen fieri non est adæquatum tali esse, vel simpliciter, vel secundum ordinem connaturalem. Quando ergo effectus manat causa secunda priori modo, tunc non postulat conseruari à Deo in absentia suæ causæ. Quando vero manat posteriori modo, debetur illi conseruatio ratione ipsius esse iam recepti: quia cum tale esse per se non dicat ordinem ad aliam causam, connaturaliter postulat conseruari à quacunque, etiam à prima; ad quam spectat conseruare quicquid factum est iuxta modum connaturalem. Secus vero est quando ordo ad causam proximam est omnino per se ex vi talis esse: nam tunc immutare illum ordinem non est connaturale, nec posset esse debitum rei habenti tale esse. Vnde calor (& idem est de quauis simili forma) non postulat fieri & recipere esse ab alio calore nec alio simili agere proximo, ratione sui esse præcise considerati: quia nulla forma, quæ per se fieri potest ab agente vniuoco, dicit per se dependentiam ab alio ex vi sui esse, vt supra etiam probatum est: sed solum quoad fieri intercedit hæc dependentia ex ordine naturalium causarum, qui non extenditur ad omnium rerum conseruationem. Et ideo calor de se indifferens est vt conseruetur à quocunque agente vniuocali: estque hoc ei debitum ex vi sui esse, postquam illud semel recepit. Lumen autem talis est forma, quæ ex vi sui esse postulat dimanationem à luce vt sibi connaturali, vnde non potest ab vniuoco agere produci: & ideo absque vlla dimanatione non est ei debitum naturaliter, vt à sola superiori causa conseruetur. Et in omni alia simili qualitate dependente in conseruari ab agente proximo, inuenietur aliqua naturalis proprietas, ex qua coniectare liceat, tale formam ex vi sui esse postulare dimanationem à tali causa proxima, vt supra declaratum est, & maxime patet in actibus vitalibus. Et in omni forma materiali (vt per hoc respondeamus ad quoddam exemplum in contrarium supra positum) talis modus entitatis inuenitur, vt ex natura sua postulet efficietiam causam vt operantem ex præsupposito subiecto, & ideo non postulat conseruari à Deo extra subiectum. Quod secus accidit in anima rationali, quæ ad recipiendum esse non postulat actionem ex subiecto: & ideo separatio à corpore non obstat quo minus naturaliter possit conseruari: non est ergo illud exemplum simile, & ita videtur satisfactum toti difficultati propositæ.

Aliud dubium notandum.

XXIII.

Secunda difficultas est, an inter dependentiam effectus in fieri tantum, vel in conseruari simpliciter detur dependentia quædam media, secundum quam forma manet quidem aliquandiu cessante actione agentis, paulatim tamen deficit, ac tandem omnino perit si actio agentis non iteretur. Nam Diuus Thomas citatis locis ita videtur sentire de formis accidentibus, quæ disponunt ad formas substantiales, & antequam perueniant ad gradum perfectum, in quo suis formis coniunguntur, actio agentis desinit: Nam tunc (ait Diuus Thomas) manet qualitas aliquandiu, sed non semper, sicut patet in aqua calefacta, quæ redit ad suam naturam. Et rationem reddit iuxta principia supra declarata, quia huiusmodi forma accidentalis conseruatur ratione formæ substantialis: si ergo actio perueniat vsque ad formæ substantialis productionem dispositio conseruabitur simpliciter ac semper: si ve-

ro maneat actio inchoata tantum, conseruari poterit dispositio aliquandiu, non tamen semper. Secundum exemplum esse potest de habitibus, qui non ita pendunt in conseruari ab actibus, vt statim pereant cessante actu iuxta aliquorum vero opinionem ita pendunt, vt per solam cessationem ab actibus paulatim minuantur, & si magna sit, omnino corrumpantur. Tertium & mihi difficilior exemplum est de imperio impresso lapidi sursum proiecto: non enim statim ac cessat actiuitas proicientis esse desinit, vt per se constat, nam ad hoc imprimitur, vt maneat aliquandiu post contactum impellentis: & tamen postea paulatim per sese desinit esse absque vlla actione contrarij agentis, ac tandem consumitur.

Nihilominus hic modus dependentiæ mihi est ad intelligendum difficilissimus, quia cessante actione agentis cessat dependentia effectus ab ipso, quia actio & dependentia idem sunt, solumque differunt in respectibus connotatis, vt sepe dictum est: ergo si ablata dependentia adhuc res facta manet in suo esse, vel per vnum instans: quantum est ex vi caræ talis dependentiæ, perpetuo manebit, si aliud de nō destruat. Patet consequentia, quia nō est maior ratio de vno instans, quam de quolibet tempore. Quod secundo ita declaro: nā si cessante actione agentis forma facta aliquandiu conseruatur: ergo pro illo tempore iam illa forma non recipit esse ab illo agente à quo facta fuerat: ergo necesse est vt conseruetur illo tempore per aliam actionem superioris agentis per se sufficientem ad influendum illud esse iuxta nuper dicta in proxima difficultate: ergo ex vi illius actionis, per se loquendo, quocumque tempore conseruabitur, nec potest reddi ratio cur illa actio superioris agentis, per sese cessare debeat. Tertio, etiam si quis fingat illam aliam actionem conseruantiam, per se loquendo, cessare debuisse, nulla ratio reddi potest cur debeat cessare per partes, seu paulatim: quia hoc nihil aliud est quam formam illam successiue corrumpi: huius autem successiue nullam causam naturalem reddi potest. Nam sicut forma non fit successiue quoad intentionem, nisi quādo fit ab vno contrario cum resistētia alterius, ita non desinit successiue, nisi quando corrumpitur per actionem contrarij agentis ipsa resistente; quando vero corrumpitur per cessationem causæ agentis, desinit per rationem talis cessationis: si ergo agens omnino cessauit à sua actione circa totam formam, & omnes gradus eius, qui potest successiue desinere? aut cur vnus gradus prius desinit, quam alius, cum actio agentis æque in omnibus cessauerit? Quod si aliqua successio est futura, deberent prius desinere priores gradus, quia prius desinere actio agentis circa illos, si successiue eos produxerit: id autem fieri non potest cum priores sint fundamentum posteriorum.

Hæc igitur rationes videntur conuincere non esse medium inter causam in fieri tantum, vel omnino in esse: nam si causa est talis vt cessante illius actione effectus non possit nec per momentū subsistere, illa est propria causa effectus in esse & conseruari: si autem causa est talis, vt cessante actione effectus possit per momentū subsistere, potest & semper, quantum est ex vi talis causæ: & ideo illa solum est causa ipsius fieri. Atque ita distinguuntur illa duo membra per immediatam oppositionem contradictoriam, in qua non potest medium inueniri.

Ex exemplis autem in contrariū adductis duo prima facillima sunt. Calor enim in aqua cessante actione ignis, corrumpitur per actionem positiuam à suo contrario ipso renitente, & ideo paulatim perit. Si autem fingeremus vel in aqua impediri naturalem dimanationem frigoris à forma eius, vel calorem vel ex se produci in subiecto neutro, à quo nulla esset actio contraria, cessante actione ignis, tunc ille calor semper maneret in eodem subiecto, neque ex se desinere esset: nam licet sit dispositio imperfecta ad formam ignis, tamē quia simpliciter nō pendet ab eam conseruari posset

SECTIO I.

An possit sufficere probari ratione naturali. Deū
per se actum immediate operari in actioni-
bus omnium creaturarum.



Ixi in titulo per se & immediate, quia ex dictis disputat. præced. constans est & certum, saltem remote & per accidens diuinum influxum necessarium esse ad actionem cuiuslibet causæ creatæ, quia saltem necesse est, vt Deus conseruet in esse creaturâ, quæ aliquid operatur; qui autem dat esse, dat etiam operationem, saltem remote & per accidens.

Prima sententia negans porponitur, &
suadetur.

Non defuerunt ergo Theologi, qui negauerunt, Deum per se & immediate concurrere ad actiones secundarum causarum. Cuius erroris præcipuus defensor censetur Durandus in 2. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. quamquam illa sententia antiquior fuerit: illam enim referunt Albertus, Henricus. & alij. Imo D. August. 5. Genes. ad liter. cap. 20. his verbis: Sunt qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit & iussit, Deum autem ipsum nihil operari. Fundamentum est, quia nulla sufficiente ratione fundari potest necessitas huius cooperationis, & ideo asserenda non est, quia Deus non adhibet superuacaneum ac minimè necessarium concurrendum. Antecedens probatur primo, quia causæ secundæ non sunt instrumenta, sed principales causæ: nam virtute propria, & nõ per extrinsecam aliquam motionem operantur, vnde interdum vniuocæ sunt, & effectus faciunt sibi similes: quando vero sunt æquiuocæ, sunt perfectiores & nobiliores causæ: ergo operantur sufficiente virtute: ergo non indigent auxilio superioris causæ. Patet consequentia, quia ad effectum producendum sufficit virtus æqualis illi, aut certe nobilior.

Secundo potuit Deus efficere creaturam operantem effectum sibi proportionatum sine ope alterius: cur enim hoc repugnat? Nulla sane apparet repugnantia aut cõtradictio: neq; est contra diuinam perfectionem aut potentiam, sed potius indicat magis potentiam Dei. Nam, sicut diuinæ potentiæ fuit non solum efficere creaturas, sed etiam illis communicare simile efficiendi vim, ita magis ostendetur eadem potentia Dei, si suis creaturis possit hanc virtutem agendi completam, & omnino integram communicare: huiusmodi autem erit, si alterius ope ad agendum non indigeat. Quod si hoc Deus potest facere, vnde constat non iam fecisse? Aut si faceret, quo alio modo faceret, quam dâdo creaturæ virtutem æqualem vel maiorem, quam ad effectum necessaria sit? hoc autem iam fecit.

Tertio fieri non potest, vt duo agentia immediate concurrant ad eandem actionem, nisi vtrumque eorum imperfectum sit, & tantum partiale, quod de Deo non est dicendum: ergo non concurrat cum creatura immediate ad actionem eius. Maior patet, quia vel vna ex illis causis agit per aliâ, vel neutra. Si primū sequitur eâ, quæ per aliâ agit, non agere immediate, sed solum mediante aliâ, cumq; non possit dici creaturâ agere per Deū, ager Deus per creaturâ, & ita frequenter loqui solemus Deū scilicet, operari, per causas secundas, seu medijs causis secundis. Cuius locutionis optimus sensus est, Deū dedisse causis secundis virtutē operandi, & conseruare illas, easq; veluti cõstituisse, vt vice sui operentur. Si autē dicatur secundum, nempe neutram ex his causis, scilicet, nec primam,

possit ita semper manere, si aliunde non corrumpetur. Secundū etiam exemplum assumit falsum; nam per solam cõtationem actus per se nõ corrumpitur, nec diminuitur habitus, sed solum à causis cõtrariis, quæ ea occasione interueniunt, vt D. Thom. declarat, 1. 2. quæst. 54. art. 3. vbi in solutione ad primum declarat, non aliter definire calorem per cõtationē calefacientis, & tacite exponit, quod ex prima parte citauimus.

Tertium exemplum est sane difficile: nam experientia ipsa videtur docere impulsū illum paulatim minui, quia inde prouenit, vt motus proiecti paulatim etiam remittatur & langueat. Aliunde vero non apparet actio agentis cõtrarij, à quo corrumpatur. Aut enim illud esset intrinseca forma aut grauitas proiecti, & hoc non, quia nec grauitas est actiua alterius qualitatis, neq; ipsa intenditur per emanationē, sicut frigus in aqua, quia grauitas non fuerat remissa per impressionem imperus. Vel remitteretur à medio resistente, & in contrarium impellente: & hoc etiam dici nõ potest, tum, quia prius quam proiectum incipiat in contrarium impelli, incipit impetus remitti; tum etiam, quia si vnus impetus non corrumpetur, nisi à contrario, non posset lapsus à se abicere omnem impetum: necesse est ergo, vt per puram priuationem auferatur. Quare multi negant, quod hæc difficultas supponit, scilicet impetum esse qualitatem impressam proiecto, sed solum contactum proiectis, quasi continuatum per partes medijs, prout Aristoteles docuisse videtur in fine Physicorum. Nec defunt alij, qui putent ipsammet proiecti grauitatem esse instrumentum, quo proiciens vitur medio contactu ad impellendum, quo vult. Sed mihi hæc etiam incerta sunt, quia vix intelligo motum illum sine impressa qualitate, prout iam docent frequentius Philosophi. De modo autem corruptionis illius qualitatis ipsimet Philosophi, qui illam ponunt, nihil dicunt, neque ego inuenio quod mihi satisfaciât. Solum dicere possumus, quamuis impetus non corrumpatur per propriam actionem cõtrarij; tamen definire ad modum earum qualitatum quæ sic corrumpuntur, quia definit resistere seu renitente contrario. Itaque quia illa qualitas est in subiecto contrario & resistente actiuitati eius, propter quam solâ illa qualitas imprimitur per modum instrumenti, ideo non postulat semper ibi conseruari, & quia aliâ subiectum semper illi resistit, & actioni eius, natura talis rei postulat, vt paulatim ab eius conseruatione cesset. Tamen hoc non est propter dependentiam mediam à suo agente, sed propter peculiarem naturam & institutum talis qualitatis.

DISPUTATIO XXII.

De prima causa, & alia eius actione, quæ est cooperatio, seu concursus cum causis secundis.



E concursu primæ causæ cum secundis ad actiones earum, pauca inueniuntur ab Aristotele alijsve Philosophis dicta, à Theologis vero res hæc copiose disputatur. Et quantum potest ratio naturali cognosci propria est huius loci. In qua re primo videndum est, quæ sit necessitas huius concursus: deinde quid sit, postea quomodo ad actionem causæ secundæ comparetur, ac tandem videbimus, an causæ secundæ vel creatæ habeant inter huiusmodi subordinationem, vel ad solum Deum.